



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 16. Callistus Papa Romæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

vero ad provinciam Tarantasiensem, ab illis septem separatam, spectat, eam, vestigiis S. Leonis Papæ insistens, Viennensi subjecit. Porro cum inter Archiepiscopos septem illarum provinciarum duo, nempe Bituricensis & Narbonensis, jam antea Titulo Primatis gauderent, inde Archiepiscopus Viennensis occasionem se se Primatem Primatum dicendi captavit, qua formula hodieque utitur. Ceterum ejus Primatus semper simplex Titulus sine effectu fuit, qui sola hac Callisti II. Bulla, falsis opinionibus superstructa, quin Pars altera ad Judicium vocata fuerit, nititur, nisi quod Ecclesiæ Diensis & Vivariensis Metropoli suæ Arelatensi subtractæ & Ecclesiæ Viennensi, juxta numerum Suffraganeorum, in hac Bulla nominatorum, subjectæ fuerint.

§. XVI.

*Callistus Papa Romæ.*

Callistus iter suum profecutus Magalonom seu Montempessulanum pervenit, indeque ad S. Ægydium. Tum peragratis Provinciæ \* partibus, & alpibus superatis Longobardiam attigit, & undique confluentibus populis, ut legitimus Papa, magno devotionis affectu exceptus est. Inde in Tusciam progressus, cum civitati Lucensi appropinquaret, milites obsequii & honoris causa occurrerunt,

Sæcul. XII.  
A.C. 1120.

Sup. lib. XXVII.  
p. 45.

\* Provence.  
Pandulf. ap. Baron.

Sæcul. XII. tumque a Clericis & populo ad majorem  
 A.C. 1120. Ecclesiam & Papale Palatium deductus  
 est. Pisis quoque a civibus solemn  
 pompa procedentibus receptus, Majo  
 rem Ecclesiam consecravit. Cum fama  
 Callisti adventum prævolans denuncia  
 set, tota Roma lætitiã ingentem & ve  
 hemens Patrem communem complecten  
 di desiderium professa est. Quare Schis  
 matici, Imperatori faventes, trepidabant,  
 & Burdinus, intelligens se de insidiis ini  
 micorum non esse securum, Sutrium,  
 quam urbem Petro Leonis eripuerat, au  
 fugit, & munimentis, auxilium ab Impe  
 ratore sperans, se se inclusit. Romani  
 milites trium dierum itinere Callisto Pa  
 pæ obviam processerunt, & cum Urbi  
 proximus esset, parvuli ex omni gene  
 ris arboribus ramos decerptos portan  
 tes, & laudes Pontificis maximi clamo  
 re festivo decantantes, ingredientem  
 comitati sunt. Papa coronatus Urbem  
 intravit, quam aulæis dependentibus ci  
 ves ornaverant, Latinis Græcisque mira  
 concordia concinentibus, ipsisque Judæis  
 applaudentibus. Tantus fuit inter so  
 lemnes preces procedentium numerus,  
 ut pompa, quæ tempore matutino duci  
 cœperat, vix hora quarta pomeridiana  
 clauderetur. Tandem Papa inter con  
 suetas cantiones pro more a Senatoribus  
 ad Palatium Lateranense deducitur. Hæc  
 tertia

*Goff. Vind.*  
*V. ep. 3.*  
*Epist. Egin.*  
*to. 2. Canis.*  
*p. 240.*

tertia die Junii agebantur, mansitque Pa-  
 pa Romæ saltem reliquo hujus mensis  
 tempore, quoscunque in conspectum ejus  
 venientes illa lenitate & Majestate, quæ  
 virum Regio genere ortum decebat, reci-  
 piens. Sed quia milite opus erat, quo  
 Burdinum Antipapam ad deditioem  
 compelleret, in Apuliam perrexit, Nor-  
 mannorum opera & viribus usus. Pri-  
 mo ad Montem Cassinum venit, cujus  
 Abbas omnes sumptus, ad sustentandum  
 Papam non solum in Monasterio, sed et-  
 iam duobus ferme mensibus, quibus in  
 illa regione versatus est, liberaliter sup-  
 pedavit. Inde Callistus Beneventum  
 divertit, quo Guilielmus Dux Apuliæ &  
 Calabriae ad eum veniens, homagium  
 præstitit, eo more quo Robertus Guis-  
 cardus Guilielmi avus, & Rogerius ejus  
 parens, olim Summis Pontificibus fidem  
 juraverant, eique Papa totius provinciæ  
 Investituram, tradito vexillo, contulit.  
 Ceterum diutius Papa Beneventi hæsit,  
 quia Romam redire tuto non licebat ob  
 crudelitatem Schismaticorum, qui com-  
 meantes ad Pontificem capiebant, inter-  
 ficiebant, mutilabant. Sed tandem iti-  
 nere maritimo Romam reversus, ibidem  
 Festa Paschalia anno millesimo centesimo  
 vigesimo primo celebravit.

Sæcul. XII.  
A.C. 1120.

*Chron. Cass.*  
IV. c. 68.

*Chro. Romu.*  
ap. Baro.

*Goff. Vind.*  
V. ep. 3.

*Pandulf.*